

Dissertatio medica inauguralis, de aphthis ... / ex auctoritate ... Jo. Nic. Seb. Allamand ... pro gradu doctoratus ... eruditorum examini submittit Antonius Gysberti Hodenpyl ... Ad diem 17. Septembris 1759.

Contributors

Hodenpyl, Antonius Gysberti.
Allamand, Jean Nicolas Sébastien, -1787.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Joannem Bos, [1759]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/w6ugu6jk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Trahit, docet et usum



PHYSIOLOGIA

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

APHTHIS.

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS

D. JO. NIC. SEB. ALLAMAND,

A. L. M. AC PHIL. DOCT. PHILOSOPHIAE ET MATHESEOS
IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARIJ,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, & Nobilissimae

FACULTATIS MEDICAE Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis ritè ac legitimè
consequendis,

Eruditorum Examinei submittit

ANTONIUS GYSBERTI HODENPYL,

SCHIEDAMENSIS BATAVUS.

Ad diem 17. Septembris 1759. hora locoque solitis.



PHARMACIA




CHYMIA



PATHOLOGIA



CHIRURGIA



LUGDUNI BATAVORUM apud JOANNEM BOS

And. Meert

del & fecit

DISSERTATIO MEDICA
IN AUGURIIIS

APHTHIS

ANNUNTIAT DEO TEE OTT. MAX.
D. JO. NIC. SEB. ALLAMAND.

A. L. M. AC PHIL. DOCT. PUBL. ORDINARIUS ET MATRIS DOCT.
IN ACID. LUD. NAT. PROFESSORIS ORDINARIUS

PHYSICUS PRAECEPTOR UNIVERSITATIS
MEDICINAE PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

ANTONIUS GYRBERUS HODENIUS
PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

PHYSICUS PRAECEPTOR
PHYSICUS PRAECEPTOR

D E O.
P A T R I A E.
CONSANGUINEIS.

E T.

A M I C I S.

*Hasce studiorum suorum pri-
mitias sacras vult*

A U C T O R.

DE
PATRIA
CONSAINGUINEIS

ET
AMICIS

THE
MILITARY
AUCTOR

THESES ANNEXAE.

I.

Foetus in utero interdum respirat.

II.

In pulmonibus foetus fit circulatio sanguinis.

III.

Foetus non nutritur per os.

IV.

Vomitus vomitu curatur.

V.

Materies aphtharum est materies perspirabilis.

VI.

Veteres non cognoverunt aphthas nostrates.

THESES ANNEXAE

Forma in rebus interdictis

I

In rebus interdictis forma de circumscriptione

II

Forma non interdictis

III

In rebus interdictis

IV

In rebus interdictis forma de possessione

V

In rebus interdictis forma de possessione




DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APHTHIS.



CAPUT PRIMUM.

De Natura morbi.

§. I.



um aequivoca definiri nequeant, quin prius instituatur legitima divisio, non abs re erit primum examinare, quid veteres Medici, quid nos Aphtharum nomine intelligamus.

Aëtius Aphthas lib. 8. cap. 42. definit ulcuscula par-

A 3

va,

va, os internum occupantia, saepe solitaria, saltem pauca, in puncto medio alba vel flavescentia, in toto sui ambitu rubra & dolentia, has & infantibus familiares esse dixit.

Talia saepe nos ulcuscula cava videmus in interiori parte labiorum, buccarum, gingivis & lingua, soloque melle rosarum, ad singulas ejus dragmas salis marini spiritus gt. i. addendo, saepe sat facile curantur: ad earundem curationem laudat *Aëtius* remedia adstringentia, quae certe hodie in Aphthis morbos acutos inflammatorios comitantibus, non conducere, ut postea patebit.

Similia ulcuscula in ore, pulmonis fistula, & pudendis fieri monet Hippocrates, *Epidem. 3. & de Nat. Mulieb. cap. 61.* Aphthas nominat, atque adstringentia remedia rursus praescribit: quare *Celsus lib. 2. cap. 1. serpentia ulcera* oris vocat ea, quae *Aphthas* Graeci nominant, laudatque pro cura *alumen & atramentum sutorium.*

§. II.

Magni momenti est a se invicem fecernere morbos inter se similes, sed quae contrariam curationem reposcunt; hinc merito quaeritur, an Aphtharum nostrarum vestigia in monumentis veterum inveniantur?

Pro affirmativa concludit Clariss. *van Swieten T. 3. pag. 198.*

pag. 198. 1°. quia Hippocrates *aphor.* 24. *Sect.* 3. dicit, *recens natis Aphthas familiares esse*, quod adhuc hodie frequentissime observatur, 2°. quia alibi de muliere lactante, quae acuta febre laborabat, dicit: *huic ex reliquorum incendio lingua succensa est*: sub hoc tempus lingua etiam velut *densa grandine exasperabatur*, & 3°. quia apud *Julium Pollucem lib. 4. cap. 25.* sic legitur: „Aphtha, exulceratio & abscessus su-
„ perficietenus dealbans linguam vel paristhmia vel
„ uvulam vel guttur” ubi notat Clariss. Vir, quod
„ haec descriptio contineat utramque Aphtharum spe-
„ ciem, ulcuscula nempe illa oris interni, veteribus
„ Medicis imprimis memorata, & dein illas Aphthas,
„ de quibus hic agitur, quae superficiem linguae &
„ faucium dealbant, vel potius alba crusta tegunt,
„ pulchreque hic convenire *abscessus* vocabulum, quod
„ hoc nomine etiam vocari solet illud naturae huma-
„ nae molimen, per quod a sanguine separantur quae-
„ dam nocitura & ad certa corporis loca deponuntur,
„ quod omnino Aphthis convenit.

§. I I I.

Verum si liceat voci *abscessus* tam latam significatio-
nem tribuere, quis non videt in renibus hominis cujus-
cunque sani fore abscessum? quippe in renibus „ se-
„ paratur a sanguine urina alioquin nocitura.” Hinc
forte

forte responderi posset ad primum articulum, Aphthas infantum in Graecia fuisse cum cavo sub epidermide seu *epithemate*, quia in regionibus calidioribus & minus humidis humores citius acrimoniam alcalinam contrahunt; Aphthas vero nostrates esse, per se, abscessionem cuticulae & solutionem substantiae cellulosaе sine cavo ulterius serpente.

Ad secundum: nil in eo loco Hippocratis innuere, linguam mulieris fuisse densa quasi grandine exasperatam atque tuberculis albicantibus opertam, *sine cavo*; nec nimium colori credendum esse, quando color est signum commune Aphthis veterum & nostratibus.

Ad tertium: exulcerationem, quae spirat alcalinum & adstringentibus curatur, & Aphthas nostrates, quae spirant acidum, & adstringentia remedia respuunt, minus recte simul exponi, atque nasutiorē fuisse *Julium Pollucem*, ut opposita vellet una eademque descriptione explicare. Verosimilius est Veteres Aphthas nostrates non cognovisse ex iis, quae addit Vir Clariss. pag. 200.

„ certum est in calidioribus regionibus vel omnino
 „ non, vel rarissime occurrere. Periti & exercitati
 „ Medici, qui in talibus locis praxin medicam exer-
 „ cuerant, ad septentrionales oras dum pervenerant,
 „ mirati fuerunt morbum hunc, quem nunquam vi-
 „ derant; mihi olim in patria praxin facienti, nihil
 „ frequentius occurrebat, quam Aphthas videre in

5, morbis acutis: " Viennae autem per quinque jam annos degenti ne semel quidem adhuc illas videre contigit. Confirmatur a similitudine, quam observat *ibidem* Auctor, inter materiam Aphtharum & materiem febris miliaris albae, quae pariter acidum spirat, sed haec antiquis Medicis fuit incognita, & ducentis abhinc annis Lipsiae primo sese monstravit: ex quo sequi videtur, veteres Aphthis nostratibus simile in specie vidisse nihil.

§. I V.

Hinc recte definiuntur Aphthae a summo Boerhavio, *parva ulcuscula rotunda superficiaria os internum occupantia*. Malim certe *ulcuscula* cum Boerhavio, quam *pustulas* cum Commentatore vocari, quia pus non continent Aphthae semper, sed sunt semper *solutio continui in suppurationem*, si non proxime saltem remote, *vergens*. *Ulcuscula* sunt *superficiaria*, quo distinguuntur ab Aphthis veterum, quae sub pustula *cavum* relinquebant. Aphtharum *rotunditas* in oculos incurrit, sed fortasse circumscribitur ab emissario orificii majoris inter arterias exhalantes minores posito. *Os internum* est sedes morbi, si modo per hoc intelligatur totus intestinorum tubus internus incipiens a labiis, ubi desinit cutis, & continuatus usque ad anum.

Notum est corporis humani truncum esse quendam

tubum, cujus pars tam convexa quam concava gaudet epithemate, hirsuto villis exhalantibus per arteriarum fines, mucum, quo illiniatur, & insuper magnam tenuioris liquidi difflandi copiam. Si os hominis sani inspiciatur, apparet in omni puncto aequabiliter humidum, & injectio pulchre confirmat in omni puncto esse arteriam exhalantem.

Videntur jam Aphthae fieri, dum humor, solito lentior redditus, per ultimum arteriarum finem propelli nequit, sed ibi stagnat & extremum obstructum acrimonia sua (quae acidum olet) rodit, cum substantia cellulosa supereminente: interim a tergo pressus vi liquidi urgentis elevatur cum epithemate (si adsit) ultra superficiem extremam canalıs humor excretus & concrescit in Aphtham; id partim docet ratio, partim sedula Aphtharum inspectio, dum prodeunt hinc inde solitariae: Ubi enim agmine denso haec loca occupant, tunc non facile est singulas distinguere. pulchrius autem apparet, dum crustis aphthosis deciduis primis, renascuntur novae, ut frequentissime fieri solet; tunc enim, detracta epidermide, adeoque cellulosa, erosa apparent in ultima superficie partium oris interni punctula, minima, albicantia, imprimis si per lentem lustrentur, quae subito aucta, vicinis contiguis unita, intra paucas horas similem crustam aphthosam producunt, ac erat illa, quae paullo ante separata deciderat: indicio Aphtham non esse extre-

tremum elevatum emissarii obstructi, ut ponit Commentator §. 980. sed liquidum emissum concreescens in crustam.

Dari in corpore nostro humores morbosos, qui cito exhalati concreescunt, sola inspectione patet, in intertrigine farinosa, dum delectantur affecti excutiendis a cruribus vel auricula furfuribus albis, in quibus singulis vides inpressiones papillarum: mox de purgata cute, quae rubens & fere dolens est, erumpit humor, qui nonnihil salini sapit, & nisi abstergatur, brevi in novam crustam transit. An epidermis & tunica villosa intestinorum, in quibus nulla ars fibras detegit, aliud sunt quam succus arteriarum exhalantium inspissatus & concreescens?

§. V.

Hinc Aphthae occupant omnia loca, ubi talia emissaria hiant; adeoque labia, gingivas, genas internas, linguam, palatum, tonsillas, uvulam, gulam, stomachum, intestina tenuia, ubique eadem fere specie.

Ita facile distinguuntur Aphthae a fordibus illis, quae linguam frequenter in acutis morbis crassa satis crusta tegunt: quippe sunt in lingua quatuor ordines papillarum minorum & majorum, numerosique folliculi mucosi, unde si leviter tantum obtuso radatur instrumento vel prematur linguae superficies, ingens copia muci prodit.

dit. Insuper epidermis linguae protenditur in vaginulas, quae papillas illas nerveas tegunt & defendunt: sed hae vaginulae per aestum halitus febrilis exsiccantur, emoriuntur, cum mucro concresecunt inspissato, difflata parte magis aquosa, atque magnam partem illius crustae constituunt, quae nil minus quam acidum spirat, sed potius alcaliscentis naturae est, nec derafa ilico reficitur ut Aphthae. Non inficias ibo, quin possibile sit, Aphthas linguam etiam infestare, praesertim iis in locis, ubi vaginulae papillarum sunt minus densae, sed a crusta inflammatoria ad Aphtharum existentiam argumentum minime valere, nec unquam solam linguam Aphthis affici. Hinc alterius indolis esse humorem, quo coalescit crusta illa, & humorem, quo generantur Aphthae, confirmatur, quia dorso linguae obducto crusta inflammatoria, obstructis ea parte vasibus, plerumque repellitur humor ad ventrem seu partem averfam dorso, a quo copiosior exit per arterias exhalantes, absque eo quod elevet epidermidem & faciat Aphthas.

§. VI.

Aphthae omnes oris interni partes, plus minusve, occupant, & quandoque in faucibus jam adsunt densae, dum in lingua nullum adhuc illarum vestigium apparet: non tamen ex eo, quod os internum oculis pateat
&

& videamus eas, depressa lingua, profunde in faucibus haerere, certi sumus, Aphthas per ventriculum & intestina pariter distribui; sed aliunde scimus in oesophago, ventriculo & intestinis maxime tenuibus dari in omni puncto arterias exhalantes, atque dum Aphthae solvi & decidere incipiunt, tunc videmus integras laminas expui ab aegris, simul & perfecte similes crustas per alvum prodire & quidem tanta copia, ut illud non attribui possit earum deglutitioni ex ore & faucibus. *Vincentius Ketelaer*, qui in uliginosis Zelandiae locis Praxin Medicam exercens, frequentissimas in morbis Aphthas viderat & brevem, sed optimum tractatum de Aphthis conscripsit, narrat pag. 15. se tanta copia per aliquot dies ore & ano Aphthas rejici vidisse, ut aliquot pelves illas congestas vix caperent. Id minus mirum videbitur, si consideremus illas decidere & iterum repullulare similes & quidem repetitis vicibus. Unde merito concludimus, Aphthas in ventriculo & intestinis haerere posse: quod ex sectione cadaverum facile est confirmare.

§. VII.

Gentibus borealibus, paludosa loca inhabitantibus, tempestate calida, pluviosa, infantibus senibusque frequentes. Hinc in Zelandia, aquis undique cincta

& aggeribus ab inundatione defensa, adeo frequente Aphthae sunt, ut Endemicum illius loci morbum dixerit *Ketelaer pag. 26*, inprimis autumnis, si humidus & calidus fuerit tempestas: hinc fuit in illa opinione quod in calidis regionibus, cum fibrae sunt magis elasticae & ad diaphoresin & sudorem promovendum magis aptae, ibi in morbis saepe diffentur per sudores quae sub frigidiori & humidiori coelo, & in corporibus non adeo in sudorem pronis, per hanc viam non tam facile exeunt de corpore; additque se observasse sudorem copiosorem, & urinas uberiores reddidisse Aphthas tutiores & leviores, & contra omnia, quae haec evacuationes minuebant, nocuisse, quod indicium est Aphtharum materiem in fluido concrecente potius quam in solidis quaerendam esse.

§. VIII.

Solet in initio aliquando hinc inde sparsa apparere solitaria pustula, jam primo in lingua, in labiorum angulis, in faucibus & alibi, sine ulla certa constantia loci primi, & illae fere semper sunt boni generis quatenus indicant materiem morbosam non esse ita copiosam. Interdum tamen contingit, sed rarius, ut sparsae appareant in ore & faucibus, dum densae haerent in ventriculo & intestinis; quod indicat nauseam perpetuam, singultus & dolor circa has partes
alias

alias paucae quidem prodeunt, quia vires vitae sunt impares expellendae materiae morbosae, quod mali ominis, & contingit in senibus inprimis & in aegris qui diu cum morbo conflictarunt.

§. I X.

Aliquando primo apparent in imis faucibus, adscendente quasi ex oesophago crusta alba densa, splendente, instar recentis lardis tenacissime adhaerente, lente adscendente: atque hae fere pessimae & ut plurimum certo lethales; quia signum est omnia jam aphthis plena esse & nisi aptis remediis fiat, ut cito cadat densa talis crusta & vires vitae sufficiant, ut tantam copiam materiae morbosae eliminent, nulla spes superest.

Alias duris, crassis, densis, tenacibus crustis totum cavum oris ubique usque ad extrema labiorum obsident, omnia tegentes simul, & ab his raro resurgunt aegri: quia tunc novae crustae succrescunt, & prioribus nondum deciduis agglutinantur: cumque nullum humidum ab arteriis exhalantibus ad superficiem tam densam crustae venire possit, haec exsiccat, durior redditur, magisque suae separationi resistit. Inde impeditur omnino deglutitio; imo lingua, labiis, buccis, quasi rigidis factis, ne vel liquidum ori injectum continere valet aeger, tandemque larynge & pharynge sic repleto, miserrime suffocatur.

§. X.

§. X.

Varius harum color, pro varietate modi, quo Aphthae radios luminis imbibunt vel reflectunt ad oculum *albus* pellucidus, instar margaritarum, quando sparsim occurrunt in initio, quia pellucet humor; *albus* sincere ex densitate magna, quia crusta densior radios omnes reflectit; *fulvus*; *flavus*; *lividus*; *niger*; quorum colorum malignitas pari ordine se prodit, quo hic recensetur, ut prior optimus, posterior pessimus sit. Mali ominis est, dum Aphthae erumpentes mox apparent cinerei coloris, quia hoc indicat humorum errores loci in arteriis exhalantibus. ubi diu haeserint illae crustae, tunc circa mortem nigrescere observantur indicio radios omnes imbibit, quia per acrimoniam majorem fiunt aphthae pertusae & foraminulentae.

§. XI.

Ubi haeserint aliquamdiu, si vires vitae adhuc validae sint, nunc liquidum, a tergo premens, extremae arteriarum exhalantium laxat, & separat illam crustam aphthosam, sicque sensim & successive frustulatim decidit & omnes partes prius affectae liberantur, si materia morbose tota expellatur. Neque ullum tempus determinari potest certum, quo haec separatio fiat:


non.

nonnullae cito cadunt, aliae tarde: quod constanti quidem lege fit, sed a nobis non observata, ne vel in ore, quod liquidis emollientibus & leviter abstergentibus perpetuo abluere licet gargarizando: hinc multo minus in ventriculo & intestinis, quarum partium motus sunt mere automatici. Si tum deciduis Aphthis loca appareant humida, signum est non renascituras, quia humor non ita concrevenscens est; sed si loca sicca manent, indicium est brevi renascituras aequae densas, imo forte densiores, si vires vitae supersint. si locus mox apparet quasi tenuissima tela alba obductus, jam renasci incipiunt & brevi erunt aequae copiosae ac ante, sexies, septiesve aut & saepius Aphthas sic renatas vidit *Ketelaar ibid. pag. 21.* Quandoque aliquot dierum intervallum inter decidivas Aphthas & renascentes intercurrit: Verum tunc locus, unde deciderunt, non penitus humescit, & anxietas quaedam circa praecordia, cum somnolentia, supersunt; quae fati monent attentum Medicum, non esse malum integre superatum, vitae vires, sensus sopiendo novam evasionem moliri, partem tantum materiae morbosae subactam fuisse, reliquam adhuc indiguiffe maturatione antequam versus haec loca deponi possit; adeoque longum morbum, pluribus redicivis obnoxium, cum quo aeger diu luctare debebit, priusquam evadat. Interim tamen illud emolumenti habetur tunc, quod Aphthis deciduis liberius deglutiant aegri & utantur

C

ali.

alimentis levibus & liquidis, quibus vires interea refici possint, ut sustinendo morbo longiori & superandis pluribus recidivis sufficere valeant. melioris semper ominis sunt Aphthae quae cito cadunt, licet etiam novae repullulent brevi denuo separandae, quia his indicatur ad materiem, copiosam quidem separandam vires vitae sufficere & vias satis apertas esse; ubi vero tarde cadunt, colligimus, materiem tenaciorem esse, vires minus firmas, vasa non satis pervia, adeoque majus adesse periculum. Si autem, Aphthis deciduis, os internum purum & humidum appareat, nulla anxietas circa praecordia, nulla hebetudo aut somnolentia supersint, si febris cesset, vel minuatur continuo, de aegri salute certi sumus. & ita cognita natura morbi *prognosim* habemus, quae ex causis & effectibus praecognitis clarior adhuc fiet & curationis viam indicabit.



CAPUT SECUNDUM.

Morbi Causae & Effectus.

§. XII.

Aphtharum causas a prohibita & repulsa perspiratione sanctoriana confidenter deducimus, ita ut causa praedisponens sint vires vitae jam debiles vel de-

debilitatae, causa vero occasionalis, quidquid perspirationem naturalem impedit.

Solent quidem Aphthas in ore apparituras praecedere febris continua putrida, aut intermittens continua facta, sed minime sequitur inde, febrem continuam esse signum pathognomonicum, nam recens natos, nulla febris continua praegressa, invadunt; ut & interdum eos, qui tertiana exquisita laboraverunt. Bis vidit summus *Boerhavius*, absque morbo praegresso, prodiisse Aphthas densas, sed in labiis solis. Vidit & *Celeb. van Swieten*, in puella annua, absque ullo morbo praecedente, Aphthas densissimas & fuscas, totum os internum occupantes, a quibus sanata fuit feliciter, nec febricitabat toto tempore quo aderant, vix que aliam molestiam ullam videbatur pati quam difficiliorem deglutitionem, & deciduis Aphthis cruda oris interni superficies ab actu cibi & potus dolebat, quod tamen bidui spatio cessabat: *Ketelaer*, qui tot aphthosis medicinam fecerat, testatur se plurimis affuisse, qui in summa Apurexia Aphthis tenerentur, quique praesensisse se nullam febrem, ab omni gravi malo immunes fuisse asseverarent, additque etiam in nuper editis infantibus praecedentes febres non semper observari.

§. XII.

Verum infantum morbi sunt ut plurimum ab aci-

do, quod deberet perspirare, & non perspirat. Febris tertiana pariter est a fibra laxa & perspiratione retenta, quae *acida* est, cum chartam coeruleam in rubrum colorem mutet sudor hominis. Hinc horripilatione & tremore constrictis vasis, noxia retenta revelluntur in viam circulationis, & paroxysmum incipiunt per frigus extremorum, deinde calore cocta expelluntur per epidermidem externam, si vires vitae sufficiant; si non, per epidermidem internam oris, ventriculi, intestinorum, qua data porta, atque in ea, utpote, cute non munita, frequenter ulcusculum faciunt, quod *Aphtham* diximus (§. IV.) Ad casum in quo, sine morbo praegresso, contigerunt Aphthae, pronum erit respondere, dari semper in corpore, priusquam etiam functiones laedantur, motus praeternaturales.

§. X I V.

Confirmatur ex eo, quod *Ketelaer* notat se observasse, sudorem copiosorem & urinas uberiores reddidisse Aphthas mitiores & leviores & e contra omnia, quae has evacuationes minuebant, nocuisse: item ex eo quod notat *Celeb. Commentator*, „ in illis „ locis, ubi Aphthae non occurrunt, observari frequentissime exanthemata *miliaria* dicta alba & rubra, in „ externa corporis superficie ” An tunc ad exter-

nam

nam cutim non deponitur simile quid, ac sunt Aphthae
 inprimis viis? Certe inquit „ Exanthemata illa milia-
 „ ria acutos morbos quoscunque uti & febres conti-
 „ nuas comitantur frequenter, odor, peculiaris ingra-
 „ tus vappidum acetum utcunque referens, per loca
 „ dispergitur, ubi tales aegri decumbunt; qualem odo-
 „ rem quandoque & apud Aphthosus observavi. mi-
 „ liaria alba pustulas minimas pellucido liquore ple-
 „ nas exhibent, ultra epidermidis superficiem emi-
 „ nentes pro parte, dein quasi turbidior fit liquor his
 „ pustulis contentus, exsiccantur, decidunt, rena-
 „ scuntur similes ut Aphthae. Anxietas circa prae-
 „ cordia, debilitas, somnolentia levis, praecedunt
 „ Aphthas; similia symptomata ante eruptionem
 „ miliarium observantur, & post eruptionem factam
 „ minuuntur. Subito quandoque disparent miliaria
 „ exanthemata, summo cum aegrotantis periculo;
 „ sed & intra paucas horas quandoque disparent Aph-
 „ thae, ilico recrudescente febre, cum molestae op-
 „ pressionis sensu circa praecordia, quae non levan-
 „ tur, nisi denuo prodierunt Aphthae. ”

§. X V.

Frequenter quidem Aphthae sequuntur febres, quae
 cum diarrhoea vel dysenteria incipiunt, monente *Sy-*
denhamo pag. 40. de Aphthas, inprimis si aegri ca-

lido regimine usi fuerint, vel materiae peccantis evacuatione ope remediorum adstringentium impedita, non prius educto per evacuantia morbi fomite. Sed quid hoc probat, nisi (ut §. XIII.) retropulsam esse materiam perspirationis sanctorianae, & per metastasin ad tubum intestinale transferri, atque per arterias exhalantes excerni, esseque illud, quod excernitur, materiem Aphtharum per vires vitae tali modo subactam & paratam, ut per alvum expellatur cum spe salutis in dyarrhoea, cum metu mortis in dysenteria. Imo notat *Sydenhamus ibid. cap. 4.* eodem tempore, quo dysenteriae epidemice grassabantur, febrim quondam exortam fuisse absque dysenteria comite, quam tamen dysentericam vocabat ab identitate symptomatum: notatque hanc febrim, ubi discessum meditaretur, ad Aphthas producendas fuisse propensio- rem quacunque alia specie febris, quam haecenus viderat. Simul & addit, quod in illa eadem febre sudores fuerint rari & parci, cum in praecedenti Epidemia copiosissimi profluerent; hinc quemadmodum ex materia perspirationis suppressa fit diarrhoea & dysenteria, ita ex materia diarrhoeae & dysenteriae suppressa fieri credimus Aphthas: ita ut suppressio perspirationis indicet vires vitae debiles esse, diarrhoeae & dysenteriae debiliores, Aphtharum vero debilissimas.

Tres illas varias ejusdem materiae morbificae Metastases, horripilationi, horro- ri, tremori, quo princi-
pium

pium vitale, laesis graviter functionibus, afficitur, adscribere non dubitamus. vid. §. XIII.

§. XVI.

Magna & perpetua nausea praecedit Aphthas. Cujus signi causam non ponimus cum Cl. Commentatore materiem esse in primis viis haerentem, quae corrupta resorbeatur; quippe hic non agitur de initio, sed de fine morbi, de signis aphtharum in febribus. est ergo nobis causa proxima nauseae retropulsio materiae perspirabilis ex vasis lymphaticis cutaneis in vasa serifera, & ex his in sanguinem, qui ea labe contaminatus, tot millenis vicibus una hora transire debet totus per cor.

An talis degeneratio non est nauseae magnae & perpetuae causa sufficiens, donec natura per Aphthas, hoc est per excretionem materiae perspirabilis retentae, utcunque liberetur? Potius ergo Medicus, videns hanc anxietatem, suspicabitur materiem refluere versus tubum intestinalem, quam praesentiam sordium biliosarum putridarum in ventriculo & primis viis haerentium; quae certe si adsit ab initio morbi, non amplius vappidum acetum redolebit ut Aphthae. Recte quidem observavit *Ketelaer Pag. 40.* periculosiores & graviores Aphthas prodiisse, dum in initio morbum negligentes aegri nullum Medicum advocassent,

antequam attritae penitus vires forent & virus resorb-
tum; tuncque nullae poterant tuto fieri evacuationes,
quae in initio morbi administrari potuissent; sed haec
negligentia non magis Aphthas quam diarrhoeam &
dysenteriam graviores & periculosiores fore arguit.
Hinc de nausea, quae haec mala sequitur & immedia-
te praecedit Aphthas, sermo fit evidenter in textu
Boerbavii.

§. XVII.

*Praecedit & ingens anxietas, saepe repetens, cir-
ca praecordia.* dolor est tantum metus, ne fibra nimium
tensa rumpatur: sed anxietas est metus ne vita ipsa
deficiat, hinc augetur pro ratione periculi, adeoque
non mirum, si (quod pluribus in locis monet *Hippo-
crates*) ingens anxietas & inquieta corporis agitatio
comitetur perturbationes illas criticas, quibus viscera
vitalia afficiuntur, dum materies morbose subacta &
mobilis reddita, vel per evacuationes criticas brevi
expellenda est de corpore, vel per metastasin loca
quaedam corporis occupabit; praesertim si vires, di-
uturno jam conflictu, contra materiem morbificam
reluctantem, exhaustae sunt: sed observata plurima de-
monstrant, illam depositionem materiae ad superficiem
oris interni & primarum viarum, unde fiunt Aphthae,
esse criticam metastasin. Nam saepe visae sunt Aph-
thae,

thae, diebus quaternariis seu criticis, prodire cum insigni aegrorum levamine & minus esse tutae, dum illo morbi tempore erumperent. imo fatetur *Ketelaer* Aphthas, quae ante septimum diem oriuntur, multo aethaliores esse & molestiores illis, quae septimo vel nono die proveniunt; omnium optimas esse, quae tantibus viribus, adulta aetate, post conflictum naturae & morbi, parcae satis, levatis plerisque symptomatibus & inprimis cessante aut multum remittente febre, emergunt: manifesto indicio in his etiam regionibus doctrinam veterum de crisi & diebus criticis vulchre confirmari, de qua re nonnulli dubitant. An non in his terris, quarto die circiter vulnera mutantur in ulcus purulentum? Cum ergo Aphthae in morbis verae criticae sint, non mirum & perturbationes criticas praecedere & anxietatem oriri circa praecordia.

§. XVIII.

Non foret autem anxietas *perpetua*, nisi repetitis ictibus invaderent Aphthae, quando deciduis succedunt novae a simili materia a tergo pressa per vires vitae. Tales Aphthas merito *Ketelaer* periculosas affirmat, *quae aliquoties evanescendo, repetitis insultibus & ictibus, naturae negotium facescunt*: quia vel tanta est materiae morbosae copia, vel vires per morbi vehementiam adeo fractae sunt, ut non possit illa

separatio critica per Aphthas unico impetu fieri: periculum tamen longe majus est, dum binae illae causae, quas disjunctim enumerat Commentator, simul & conjunctim obtinent. *Debilitas magna*, praecedens Aphthas graviores, intelligitur ex morbo praegresso & massae sanguinis infectione per revulsionem materiae perspirabilis, quo fit, ut arteriae spasmodice se contrahant, & ita secretio spirituum animalium, unde robur nervorum pendet, impediatur: idem fit in febre petechiali, miliari & variolis pessimis, priusquam morbi virus per superficiem corporis erumpat, & notum est in morborum initiis interdum aliquid circa praecordia haerere, quod venenata quasi vi omnes vires unico momento prostermit.

Praecedit & *magna evacuatio humorum*, quod quidem juvaret, si non plus boni quam mali simul exiret. fit autem evacuatio per diarrhoeam, dysenteriam, imo post sudores nocturnos diu toleratos, in ultimo Pthysis stadio saepe nascuntur Aphthae.

Stupor & hebetudo, somnolentia levis, quod signum rarissime fallit: ac si natura provida, pene viribus exhausta, functionibus vitalibus provisura, actiones omnes functionum animalium, quae sine dispendio liquidi nervosi non exercentur, suspendere niteretur.

Perpetua querela de pondere & dolore circa stomachum. inprimis in hoc casu, ubi jam in ventriculo & oesophago incipit humor aphthosus distendere cellul-

losam (§. IV.) ore adhuc & faucibus illaesis, conqueruntur tales aegri saepe, ac si durum & rigidum obstaculum in oesophago haereret, quod & potui deglutiendo resistit. Saepius & singultus Aphthas in ore brevi apparituras praecedit: tunc enim similis irritatio ibi oritur ac in hominibus sanis, dum majores offas subito deglutiunt difficulter transituras per finem oesophagi. conqueruntur de pondere & dolore, quia tensio fibrarum nimia sensum doloris excitat, & sensus doloris ideam ponderis in quacunque corporis parte pendula. Quamdiu brachium e. g. est in statu sano, nullum pondus sentit homo, sed si pars eadem dolet graviter, pondus sentitur, quod oportet scapulari sustineri.

§. X I X.

Haëtenus exposui naturam (§. IV.) locum (§. I.) causam & symptomata hujus morbi: unde de genio statuere licet; atque inde effectus ejus facile deduci possunt. Scilicet ex Aphthis duplicis generis mala oriuntur, unum, quatenus superficiem primarum viarum tegunt, & aliud, quatenus deciduae crudam & dolentissimam superficiem relinquunt & viam aperiunt humoris exhalantis copiae nimiae. Nam ubi talis aphthosa crusta totam superficiem tegit partium descriptarum, tunc sensum nervis imprimendum tollit, unde per interpositionem crustae jam emortuae, quae totam su-

perficiem linguae & oris interni tegit, non possunt particulae sapidae ad papillas nerveas pervenire; simulque omnibus emissariis liquidorum obturatis, necessario semper siccitas harum partium adest. inde buccae, labia, lingua rigescunt, ita ut vix liquidum ore continere possint miseri aegri, sed illud statim depluat, quia prae rigiditate functio, qua fit nixus deglutitionis, laeditur, atque musculus praesertim Tyreo-arite-noïdeus, occlusioni glottidis maxime dicatus, quasi paralyticus manet.

Hinc & vasorum suppositorum dilatatio, quia in arteriis, obstructis in fine, resistentiā summa est, & simul maxima plenitudo, dum nihil per illorum fines transire potest. Unde ubi densae sunt Aphthae, fiunt, a vasis suppositis dilatatis, tumores molestissimi, qui circa fauces & laryngem periculum suffocationis inducunt; & in oesophago sic arctatur cavum, ut vel omnino nihil vel parum tantum & summa cum molestia transire possit: ita ut aegri hanc difficultatem aliquoties experti, postea omnem potum respuant, ne tales anxietates denuo patiantur. Si jam simul consideretur, vasa haec obstructa turgere tali materia, quae acidum spirat & extra corpus eliminanda, intelligitur facile, liquorum sub hac crusta stagnantium subitam putredinem non ita quidem cito metuendam esse, ut existimat *Celeb. Commentator hic loci*; sed si simul febris virgeat valida, in partibus obstructis, inquilini ho-

nones ab acido illo peregrino perspirabili retropulso
oncreſcent, tumor augebitur & ab aucto calore pu-
redo fieri poterit, ut in Aphthis veterum (§. III.).

Adde quod, cavitatibus venarum reſorbentium ita
lauſis, nihil ex victu & potu tenui, quos ad vires
retinendas & ad reſtitutionem detriti per attritum
praefcribere ſolent Medici, poſſit in ſanguinem veni-
re: unde vel anguſtiae oriuntur intolerabiles ab af-
ſumptis etiam fluidis, ſi per inteſtina tumentia tranſire
nequeant, vel, ſi viam invenerint, immutata per alvum
exilabuntur: hinc augetur humorum ſpiſſitudo, ſi lente,
acrimonia, ſi rapide moveantur, vires proſternuntur
& ab hac ſaepe cauſa ſola Aphthae tales in mortem
terminantur.

§. X X.

Cruſtis deciduis, aliud adhuc malum aegris talibus
imminet: nonnunquam enim ſequitur mox ſalivatio
copioſa & humor ſaepe viſcidiffimus erit, per extrema
vaſorum dilatata nec non eroſa. quod ſi fiat, ut in ore,
ita in toto primarum viarum tractu, patet, cur diar-
rhoea ſequatur, & cur aegris jam a morbo moleſto &
diuturno debilitatis, mors ſequatur, dum & aegri &
Medici meliora ſperabant. quin & deciduis Aphthis,
loca ſuppoſita apparent ruberrima, ſuntque dolentiſſi-
ma, ut ne minimum attactuſſum ferre poſſint & inter-

dum sanguinem stillent, quo impeditur etiam deglutitio; nec mirum, si dum in duodeno, separata hac crusta, liber denuo conceditur bili hic collectae & succo pancreatico stagnatione & mora acrioribus redditis accessus, tormina saevissima in intestinis ita quasi excoriatis nascantur atque diarrhoeae & dysenteriae periculosae producantur; hae evacuationes caute distinguere merentur a diarrhoeis & dysenteriiis, quae praecedunt Aphthas, quia variam medelam exigunt, & quia evacuationum Aphthas praecedentium suppressio signum est, in intestinis incepisse, priusquam in ore apparuerint.

Diximus (§. IV.) Aphthas esse ulcuscula superficialia sine cavo, quo differunt a pustulis miliaribus, quae semper cavum sub se relinquunt: sed si crustae Aphthosae fiant admodum lentae, crassae, latae, compactae, tunc saepe suffocatur caro subjecta, quia suapte natura alcalescens est, inflammata suppurata, gangraenosa in ulcera dira mutatur, eroso quandoque involucro, imo & osse palati duri; haec autem si fiant in osse ipso, qualia in stomacho & intestinis hinc mala fiant, per se patet.



CAPUT TERTIUM.

Morbi Curatio.

§. XXI.

Ex dictis de natura, causa & effectibus morbi quinque oriuntur indicationes, quibus malum optime curetur.

1°. Humorum vitalium impulsus internus in partes Aphthis obsessas excitari, temperari, debet; ut inferre, suppeditato liquido, resolutio, laxatio, lapsus concilietur crustae ulcerosae. id efficitur potu multo, caldo, diluente, resolvente, abstergente, quibus materia morbosa meabilis redditur & vasa laxata facilem transitum concedunt. Ergo cavendum ab adstringentibus, quia eruptionem impediunt, & a refrigerantibus, quia crustas condensant. Materies meabilis deditur & vasa congrue laxantur, si febris impetum ta moderetur Medicus, ut nec exorbitet, nec nimis orpeat; si vero venae resorbentes in primis viis ita fuerint obsessae, ut vel deglutiri nequeat, vel deglutitus non possit potus resorberi, superest, ut per externam corporis superficiem conemur introducere multum

tum liquidi per balnea & fomenta : ita lac dupla aquae copia dilutum immerfis huic miscelae calidae nunc pedibus, nunc manibus, insigniter profuit: quin & eadem per clyisma injiciuntur, hac spe, ut venae bibulae, pendulae crassorum intestinorum, forte non adeo crassa crusta tectae, resorbeant & in sanguinem deducant. Tuncque cibus debet esse liquidus & tenuis: laudatur decoctum panis, tamquam optime nutriens, cui additur aliquid mellis, quod detergente vi sua saponacea crustas illas abstergit & cadere citius facit, quin & ob vim penetrantem & roborantem, paulillum vini, cujus copiam prudens Medicus auget vel minuit, prout major vel minor est febrilis impetus.

§. X X I I.

2°. Si crustae densiores sunt, vel pertinacius adhaerent toti superficiei primarum viarum, ut solo impetu liquidi urgentis a tergo non pollint separari, summo-pere tunc proderit eas humectare, emollire & quasi tabefacere, ut minus adhaereant: huic scopo inserviunt omnes potus aquosi, calidi, emollientes, si modo farinosa addantur, ut levem lentorem acquirant, nec tam cito ac aqua pura praeterlabantur; solent & his addi saponacea, leni stimulo partes vivas subjectas stimulantia & ita humores provocantia, ut decoctum
vel

vel succus expressus *raparum*, non excorticarum, vel harum defectu, cerevisia tenuis saccharata. Pulchre prodest & jusculum carnis vitulinae, cum *oriza* & *rapis* contritis coctum, tam ingestum quam forma gargarismi & clysmatis: species a decoctis illis residuas cataplasomatis instar, collo applicant, ut omnia mollescant.

Quis dubitat Aphthas esse primum gangraenae gradum, cum sit epidermis mortua, adeoque *corticem peruvianum*, cujus proprietas est roborando separare vivum a mortuo, hic egregios effectus praestare, tum extrema arteriarum exhalantium ab obturantibus liberando, tum febres remittentes & intermittentes, quae saepe praecedunt Aphthas, compescendo & sedando.

§. X X I I I.

3°. Diximus (§. X.) Aphthas deciduas relinquere, imprimis si densae fuerunt, loca excoriata, cruda & simul dolentissima, ita ut irritarentur ab ipso melle, & multo magis a succo raparum, tunc pulchre prodest potus emolliens & demulcens, ut & linctus ex cremore lactis, vitellis ovorum & syrupo *papaveris albi* paratus, quatenus & ovum leniter adstringit & papaver liquidorum evacuationes nimias benigne suspendit, ut docet praxis. Ubi autem incipit minui ille dolor, tunc lenia roborantia dantur, ut sensim nimis dilatata

E

vasa

vasa constringantur : hinc pulchre prodest decoctum foliorum *agrimoniae* cum *melle rosarum*.

§. X X I V.

4°. Usus adstringentium indicat metus, ne per dilatata vasa, crustis deciduis, nimia humorum copia exeat & diarrhoea subito debilitans oriatur : sed contra indicat metus, ne non tota materies morbosae per hanc viam expulsa fuerit, quo novum imminet aegro, jam debilitato, recidivae periculum. Verum in hoc secundo casu, febris remanet & anxietas saepe repens, pulsus debilis observatur & aeger languet, ubi vero totum separatum est a sanguine, pulsus fortiter semper insurgit & morbum melius fert aeger, urina hypostatica notat subactionem & coctionem materiae morbosae factam esse, hinc & tuto roborantia adhiberi.

§. X X V.

5°. Contra id, quod dictum est (§. X.) commendatur purgans, sed in fine mali tantum, ut crustae a superficie interna tubi intestinalis deciduae expellantur per alvum, ne diutius relictæ & corruptae nova mala producerent, sed simul laudantur ea purgantia, quae indicationi quaesitae satisfaciunt; qualia sunt *Rheum Mirabolani* & similia, quia haec, leni stimulo purgante,

gante , expellunt acre irritans & simul vasa laxata roborant. Vide *Boerb. Mat. Med. pag. 171.*

§. X X V I.

Ex hac historia & curatione Aphtharum multa obscura problemata solvuntur. Scilicet. „ Cur in febre cum diarrhoea & dysenteria , in fine morbi , Aphthae ? ” Resp. quia in fine morbi , natura debilitata nimis vires non habet ad materiem perspirabilem ita subigendam , ut educta per arterias exhalantes illico non concreascit in Aphthas. Causam illam ponit Ampl. Commentator non mecum in debilitatis viribus, *sed in jactura partis liquidissimae humorum per evacuationes alvinas profusas.* Verum quia fatetur *Sydenhamus Sect. 4. pag. 236, 237.* in febre dysenterica ab ipso dicta , eo quod omnia symptomata dysenteriae tunc grassantis habebat , exceptis evacuationibus , & quae ab hac pendebant malis , majorem tamen propensionem ad Aphthas producendas obtinuisse , ac in ulla alia febre , quam hactenus observaverat. Hinc , cum *nulla* , in eo casu , *praecesserit jactura liquidi* , hac de causa concludit Commentator , Aphtharum causam a priori vix explicari posse , & a peculiari hujus morbi genio pendere , quo fit , ut , deficiente diagnosi , nulla prognosis fieri possit , in ea opinione.

Quidni etiam natura, bono consilio, per totum tubum diffundit Aphthas, ut intestina, jam nimis debilitata per evacuationes alvinas, ab imminente inflammatione liberentur? An non similes metastases observamus quotidie in podagra fieri, dum mox cui unum, dein alterum invadit morbi materies.

„ Cur imprimis in pueris, senibusque Aphthae? ” quia in pueris humores inclinant magis in acidum, quod prae debilitate fibrarum insensibili perspiratione diffiliari vix potest, & quia in senibus multae concreverunt arteriae cutaneae exhalantes, ut patet ex rugis epidermidis.

„ Cur maxime si medicamenta, victus regimen, calefacientia, aut adstringentia, in initio morbi hujus data? ” quia calefacientia laedunt arterias cutaneas exhalantes movendo praeternaturaliter, & quia adstringentia perspirationem insensibilem retinent.

„ Cur, si in talis morbi initio purgans datur hujusmodi Aphthae praecaventur? ” quia in eo casu sub decursu morbi vires minus debilitantur, & imminuta copia materiae morbosae, intestina per evacuationes alvinas minus gravantur; ita ut eliminato fomite, aphthosa illa quasi despumatione opus non sit.

„ Cur in pessimis Aphthis molestus & funestus singultus? ” Ex singultu, sub finem febris hujus aphthosae accedente, nihil aegro periculi fit (inquit Sydenhamus) nisi officiose nimis & inutiliter multa
in

ngerantur remedia; „ quod si fiat, mors pro Medico
est, ” quia crustis deciduis, saepe per stimulantia
ventriculus inflammatur. Verum in initio singultus
est funestus; quia indicium est, oesophagum & fauces
Aphthis repletum iri.

„ Cur Ora Aphthosa; ventres turbati, appetitus prostrati
, junguntur ab Hippocrate ”? quia duo posteriora se-
quuntur perturbationem criticam, & a fortiori aphthosam.

„ Cur Aphthosa tunica ventriculi lienteriam creat?”
quia effluxus succi gastrici per Aphthas impeditur, fit-
que contractio convulsiva intestinorum tenuium &
praesertim duodeni.

„ Cur Aphthosum os gravidae abortus praenun-
tium?” quia defectu salivae impeditur debita alimen-
torum praeparatio & chyli boni resorptio, unde cum
matris corpus nutrimento privetur, a fortiori & cor-
pus foetus atque debilitatis fibris, radiculae placentae
facilius ab utero separabuntur, & fiet abortus. Quin &
salivae suppressio copiosiores reddit excretiones per re-
dundantiam in reliquo tubo intestinali: hinc a misce-
la harum excretionum cum perverso chylo alvus laxa-
bitur, si sit fibra laxa & debilis, robustioribus vero
tenesmus orietur; quemadmodum eadem causa, quae
infantibus diarrhoeam, in adultis, quorum sphincter ani
robustior, interdum tenesmum facit. Morbus uterque
praenunciat abortum in gravidis, sed primus secundo
frequentior est, hinc conciliari posse videntur loca

Hippocratis *Coac. praenot.* 544. *Charter. ora aphthosa uterum gerentibus alvos humectant: & ibidem n. 514.* in quo dubitantis instar loquitur *ora aphthosa uterum gerentibus non sunt bona, num & alvi humectantur?* praeterea maxime notandus *Coac. praenot. locus: uterum jam gestantibus aphthosae fluxiones dolentes, malum haemorrhoides his pessimum.* quem non intellige de ore aphthoso ut prius, sed simpliciter de fluxione aphthosa & quidem dolente, sive illa fiat in intestini recti finibus ab acri exhalante per tractum (quam causam non memorat Commentator) sive Aphthis talibus afficiantur pudenda. Alias abortus fit a tumenti haemorrhoides in extremo intestini recti, quod his pessimum, quia vasa majora afficiuntur, ab his causis simul vel seorsim oriri possunt circa sphincterem dolores, ut parturientis & ab his tenesmus validissimus referens imprimis ultimos illos nixus, quibus foetus excluditur. *Mulierem autem in utero gerenti si tenesmus oboriatur, abortum efficit, ut monet Hippocrates Aphor. 27. Sect. 7.*

Existimat Ampl. Commentator ex his simul probabilior reddi opinionem, quod veteres Medici utramque Aphtharum speciem cognoverint: quia priores coacae praenotiones, ad Aphthas os & primas vias obsidentes, spectare videntur; posterior illa ad aliam Aphtharum speciem, quae non solum os, sed & alias partes corporis afficere solent & vera ulcuscula

la sunt. Verum sufficit & Aphthas oris posse esse vera ulcuscula, ut nihil ex illo loco pro confirmanda illa opinione possit inferri. Confer huc.

„ Cur in putridis pulmonibus, hepate &c. Aphthae adsunt? ” quia sub morbi finem solet minui sputum, adeoque materiis ulcerosa resorberi in sanguinem, a quo, ultimo quasi naturae conamine sed irritato, ad superficiem primarum viarum deponitur. Confirmaturque nostra opinio, materiem Aphtharum esse materiem perspirabilem retropulsam, ex eo quod dum erumpunt Aphthae, nocturni sudores insigniter minuantur.

„ Cur tumor, calor, suffocatio, angina, ab Aphthis refrigeratis? ” quia frigus constringendo vasa materiem morbosam retropellit, hinc motus praeternaturalis, calor, & obstructions imprimis circa collum, in quo partes contentae valde coarctantur, hinc tepidis semper utendum, imo cataplasmata vel emplastra collo applicanda.

„ Cur deliria, jactationes, pervigilia, sudor frigidus, adeo hic funesta? ” quia designant vires vitales deficere atque materiem morbosam non modo qualitate sed copia peccare, ut, licet pro parte separata produxerit Aphthas, residuum tamen possit omnes functiones laedere, jamque incipiat, si non vasa cerebri occupare, saltem nervos in aliis visceribus convellere, & ita per sympathiam delirium excitare: sed evadere nequit aeger, quin symptomata mala, quae Aphtharum eruptionem

nem praecefferunt, cessent vel saltem insigniter minuantur, nam tempora *judicatoria non judicantia partim lethalia sunt, partim difficilis judicii: Epidem. 2* ergo cum tot pessima hic signa concurrant, non difficile judicium, sed certa mors expectanda. Haec de Aphthis, ad ductum summi *Boerhavii*, ex quibus patet, quantum luminis accesserit rei medicae per improbos labores & inventa recentiorum & inprimis Academiae Lugduno Batavae, cui (ne omnia commemorem) debetur ordo & doctrina de seriebus vasorum, sine qua non intelligi potest materiae perspirabilis revulsio; illius umbram salutarunt quidem veteres, dum venas resorbentes agnoverunt. Sed actionem arteriarum exhalantium ignorantes, exitum materiae perspirabilis soli pressioni atmosphaerae tribuisse videntur.

*Multaque per sudorem, ex alto pressa, feruntur
Multaque per os exhalantur, cum languida anbelant
His igitur rebus rarescit corpus & omnis
Subruitur natura, dolor quam consequitur rem.
Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus
Et recreet vires inter datus, atque patentem
Per membra atque venas amorem obturat edendi.*

ita eleganter Lucretius lib. IV.

F I N I S.

T H E